

le, quasi totum opus Franciscanorum in Bosna et Hercegovina erat in conservatione catholicorum, ne propter crebras oppressiones fidem perverterent ac desererent. Juxta hunc principalem laborem fovebant quidem spem ac tentamina quaedam faciebant pro orthodoxorum conversione,¹⁷ quoad Mahumetanos vero vix vel vix aliquid facere audebant. Sed totus hic labor, ne a longe quidem comparari potest cum illo principali conservationis catholicorum. Possunt igitur Franciscani bosnenses dici missionarii pro mensura conaminum in conversione schismaticorum. Cum vero ob circumstantias illi conatus ad minimum redacti fuerint, de successu eorum dici potest: utinam in ovile S. Romanae Ecclesiae reducti schismatici saltem recompensare poterant numerum renegatorum, quos ob extraordinarias pressiones, quamquam populus erat fidei tenacissimus, perdere debuerant.¹⁸

Si aliud elementum, firmitatem scilicet consistentiae ac soliditatis ecclesiae bosnensis consideremus, an ex hac parte et inquantum aliquid nascentis, infantiae, inchoati characterem ostenderet — historia et fontes sequentem nobis aspectum praebent.

Fides catholica et cultus religiosus a gubernio othomano erat agnitus ac libertate donatus, Franciscanis bosnensibus jam initio ingressus Turcarum imperiali diplomate libertas curam pastorem gerendi concessa fuit ac postea pluries ab iisdem imperatoribus confirmata.¹⁹ Hoc fuit de jure. De facto autem catholici expositi erant continuis extortionibus et oppressionibus, non tantum ex parte status;

bosnensem non fuisse tunc missionem sed e proprio gremio missionarios in terras vicinas mandavisse. Da talibus cfr. Relationem Ministri provincialis Pavlović, Acta O. F. M., XIX (1900), 84; Fermeđžin, Acta Bosnae; 369 n. 1239.; pp. 381, 401, 404 et passim; Archivum Prop., Acta; 1650, v. 19, f. 381rv.

¹⁷ Šimrak J., Sveta Stolica i franjevci prema pravoslavnoj crkvi u primorskim krajevima, in Nova Revija, IX (1930), 22—38; 81—92; 407—421.

¹⁸ Draganović, Massenübertritte, in Orientalia Christiana Periodica, III—IV (1937), 558 ss.

¹⁹ Textum hujus diplomatis imperialis vide apud Mandić, Acta franc. Hercegovinae, I, 3—6; multas vero ejusdem confirmationes apud Fabianich D., Firmani inediti dei Sultani di Constantinopoli, Firenze 1884.